

rumdem operum executione suscepta, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, veniam, & remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius Anni Sancti decursum; si omnia præmissa opera injuncta iteraverint; per eorum singulos consequendam non secus ac ipsi, & eorum quilibet, præmissa in hac Alma Urbe exequentes, & quatuor basilicas ejusdem Urbis, pro quibus visitandis Jubilæam ipsam, & Indulgentiam per Nos concessa fuit, eodem Jubilæi Anno, diebus ad id statuta, personaliter visitantes; consequentur, & consequi possent; tenore præsentium, ac de Apostolica liberalitatis amplitudine, concedimus, & elargimur.

Eisdemque Monialibus earumque Novitiis, ut ad affectum præsentium, & pro prima vice dumtaxat, Confessarios Presbyteros seculares, cujusvis Ordinis Regularis, à locorum respective Ordinariis ad audiendas Monialium confessiones approbatos quoscumque, ceteris autem supradictis Anathoretis, Eremitis, nec non Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, & mulieribus in monasteriis, & religiosis, ac piis communitatibus, seu conservatoriis conviventibus, & Christianis captivitate, carceratione, aut custodia, infirmitate, aut senectute impeditis, tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti etiam specialiter nominandi Regularibus, ut ad effectum hujusmodi, & pro prima pariter vice dumtaxat, confessarios Presbyteros seculares, sive cujusvis, etiam diversi Ordinis Regularis, ab Ordinariis similiter, in quorum civitatibus, diocesis, & territoriis confessiones hujusmodi excipiendæ erunt ad personarum secularium confessiones audiendas approbatos quoscumque eligere valeant; atque Confessarii sic electi, illorum confessionibus diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet à quibusvis peccatis, criminibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, absolvere, injuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque juxta canonicas sanctiones, rectæque disciplinae regulas injungendis, ac præsertim quoad illos in carceribus detentos, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur Judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus, veritatem aperire, quodque hoc animi proposito carentes absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno suscipiant; si autem cum hujusmodi veritatis fatendæ proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam à Confessario obtinuerint, ipsis in foro interno utilis sane, & salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas penas evitandas prodesse poterit. Utque præterea Confessarii à Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque puellis, & mulieribus supradictis ad præmissum effectum electi iisdem Monialibus, intra monasteria clausuræ legibus subiecta solemniter professis, vota quæcumque post professionem emissa, & cum earum observantia Regulari compatibilia dispensando, commutare; Oblatis vero, Tertiariis, & tam istarum, quam prædictorum monasteriorum Novitiis, ceterisque puellis, sive mulieribus secularibus in eisdem monasteriis, & Oblatarum, aut Tertiariarum domibus, & communitatibus, nec non in conservatoriis quibuslibet, educationis, convictus, aliæ causa, & ratione, cum debitis licentiis, commorantibus, omnia, & quæcumque vota, exceptis illis, que Nobis, & Apostolicæ Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare, easque omnes, & singulas, facta commutatione hujusmodi, ab emissorum votorum, etiam juratorum, observantia, absolvere possint, & valeant dicta auctoritate apostolica, & earumdem tenore præsentium, misericorditer in Domino concedimus, & indulgemus.

Non obstantibus nostris super Indictione Jubilæi præsentis Anni in hac Alma Urbe, & super suspensione Indulgentiarum, & Facultatum eodem Jubilæi Anno vertente, nec non Prædecessorum Nostrorum de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, & in universalibus, provincialibus, & synodalibus Conciliis editis constitutionibus, ordinationibus, & reservationibus etiam in eadem Bulla Cœnæ contentis, nec non quorumcumque, etiam Mendicantium, & Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum & Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica quavis, vel firmitate alia roboratis, statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eisdem concessis, præsertim in quibus caveatur, expresse, quod alicujus ordinis, congregationis, societatis, & Instituti hujusmodi Professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, & individua mentio faciendæ, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, & formis pro exactissime servatis habentes pro hac vice, & ad præmissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ceterum Venerabiles Fratres Episcopos, aliosque locorum ordinarios hortamur, ut Nostræ, & Apostolicæ Sedis benignitatis exemplo permoti, Confessarios à præmissis omnibus ad earumdem præsentium effectum respective eligendis, facultatem absolvendi eosdem à casibus eisdem Ordinariis respective reservatis, impetiri non recusent.

Volimus autem, ut earumdem præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, que ipsis præsentibus adhiberetur, si fides exhibetur, vel ostensa.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Rome apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Decimo septimo Kal. Januæ. Pontificatus Nostri anno decimo. — D. Card. Passionis. J. Dataris. — Visa de Curia. J. C. Boschi. — Loco * Plumbi. — J. B. Eugenius. — Registrata in Secretaria Brevium.

Essendosì degnata la Santità di N. Sig. Papa Benedetto XIV. approvare, & confermare il decreto della Sacra Congregazione delle Indulgenze, è Sagra reliquie emanato ad istanza de' divoti dell' Anime del purgatorio sotto li 6. di Aprile dell' anno 1741. in vigore del quale si concede l' Indulgenza di sette anni, ed altrettante quarantene con la facoltà di poterla applicare per modo di suffragio alle suddette Anime del purgatorio à tutti li fedeli dell' uno, e dell' altro sesso, i quali o nell' Italia, o nell' Isola adjacenti nell' tre ultimi giorni della settimana Santa, cioè Giovedì, Venerdì, e Sabato Santo divotamente si occuperanno per lo spazio d' un' ora continua in orazione o mentale, o pure vocale a pro de' fedeli defonti; con potersi conseguire l' accennata Indulgenza in ciascheduno de' detti giorni dalla stessa persona. Per tanto si rende consapevole ogn' uno de' fedeli di sì inestimabile tesoro nuovamente dispensato da Nostro Signore, e si raccomanda alla loro pietà l' applicarsi di proposito a sì divoto esercizio, non meno meritevole per essi, che profittevole alle Anime purganti, alle quali ne' tre suddetti giorni manca il consueto Suffragio del Sagrosanto Sacrificio dell' Altare. Data quæsto dì 4. Marzo 1750. — Fr. G. A. Card. Vicario. — Gasparo Arciprete Ori Segr. — la Roma, nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica 1750.

Ob generalia comitia Ordinis Minorum de Observantia celebranda in Aracelianno conventu Almae Romanae Urbis die 26. Madi dicti Anni Sancti 1750. occurrente Vigilia Pentecostes, idem Benedicti XIV. per suam constitutionem incipientem Pontificis omnium: dat. 6. Martii 1749. omnibus, & singulis Fratribus, Ministro Generali totius Ordinis subjectis, rite confessis, sacraque Communione refectis Indulgentiam plenariam, ac remissionem omnium peccatorum suorum pro alia vice benigne concessit.

Ad complementum Jubilæi Anni Sancti subiungitur hic novissima constitutio ejusdem Benedicti XIV. merito attendenda, ut sequitur.

Extensio universalis Jubilæi in Urbe celebrati Anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo ad Universum Catholicum orbem.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei.

Universis Christianis presentes literas inspecturis.

Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Benedictus Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui dedit Nobis elapsam Jubilæi Annam secundum desideria cordis Nostri, per omnia felicem, faustumque transire. Repleti sumus consolatione, superabundantibus gaudiis, dum toto hujus Anni decursu Dilectorum in Christo Nostrorum ecclesiarumque filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem Nostram innumeris ex omni lingua, & populo, & natione, ex omni ordine, ætate, ac sexu, Christianis, qui ipso suo adventu, & propriae fidei fervorem, & amplitudinem regni Dei testabantur. Eisdem vidimus ad sacra ejusdem Urbis templa certatim accurrentes, in spiritu contrito, & humiliato, animarum suarum expiationi consulere, & sicut olivarum novellas in circuitu mensæ Domini, vivifica christiana unitatis & pacis Sacramenta percipere. Tum etiam impigro studio, & religiosa frequentia, ab una ad alteram sæpe procedentes ecclesias, in Consantiniana Lateranensis Basilica, SALVATORIS Nostri Clementiani, per merita ipsius Beati PRÆCURSORIS, ejusdemque Dilecti DISCIPULI & EVANGELISTÆ, exorantes; nunc in Liberiana Æde in exequiis, gloriose Virginis DEI GENETRICIS opem atque presidium implorantes; nunc Sacram APOSTOLORUM PRINCIPIS Confessionem in Vaticano, nunc via Ostiensis DOCTORIS GENTIUM martyrium osculantes ubertibus lacrymis persuadentes pro ecclesiæ catholicæ pace & exaltatione, cunctorumque credentium incoluntate & salute, unanimes ferventesque preces effundere. Quo spirituali gaudio auribus Nostri audivimus ejusdem Urbis vias, & fora, areas, & colles, piis precationibus, suavisque scantiis, ac Divini Nominis laudibus personare! Quoties commota sunt paterna viscera nostra, dum cernimus vidimus fidelium greges Nostri pedibus circumfusus, in persona humilitatis Nostræ, Vicariam Christi potestatem venerari, ac Beati Petri Apostolatum, cujus dignitas in indigno hæredem non deficit, effusis finalis obsequii significationibus prosequi! His populorum flagrantibus studiis sacrorum præluxerunt exemplum pastorum, qui ad honorandum de more memoriam ejusdem Beatissimi Ecclesiæ Principis, hoc anno potissime frequentes se contulerunt, & quorum Nos splendida corona stipati, sacros conventus maxima cum dignitate, universæque Fraternalitatis adificatione, celebravimus. Quid vero dicemus de Venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, aliisque Curia Nostræ Proceribus, qui piorum operum assiduitate ceteris præerant, simulque christiana humilitate exercitationibus infra quoscumque, licet abjectæ sortis, fratres sese demittentes, Christi boni odor facti sunt universæ civitati, & omnibus,

qui fuerunt in ea? Quid demum de totius dilectissimæ Urbis Cleri, ac populi devotione, paritatem, cuius pietatis exempla, cujus charitatis officia erga advenas, & peregrinos hoc Anno præsertim largiter ac sedulo impensa, in universo mundo annuntianta fore non dubitamus? Benedicti Filii Nostri, Romanae Urbis cives & incolæ, qui fecerunt hanc misericordiam cum fratribus suis. Nos autem confitebimur Domino, quoniam benignus est, quoniam consolationes ejus lætificaverunt animam nostram.

Sed præterea magna à nobis spes jure ac merito concepta est, eundem clementissimum Dominum, imploratam votis Nostri misericordiam suam Nobis ostensurum, idque demum ecclesiæ suæ largiturum fore, quod tam concordibus studiisque obsecrationibus à se postulari concessit, ut scilicet ecclesiam ipsam catholicam, & regnum Filii sui, per totum terrarum orbem, & sanctitate, & amplitudine exaltet; ut cunctis mundum purget erroribus; ut inter Christianos principes concordiam, & pacem confirmet, universamque Christi sui piebem ab omni mundana adversitate defendens, ad æternæ salutis portum dirigat atque perducatur. Quod ut ab eodem Deo optimo Maximo fidentius petere audeamus, de prædictorum Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, decrevimus, Universos Christianos, qui ubique locorum & gentium unius Fidei communiōe Nobis junguntur, in hujusmodi votorum societatem adsciscere, apteque largius Indulgentiarum thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per poenitentiam eluendo, se comparant, ac pio devotionis affectu ferventes, debitæque erga Sedem Apostolicam observantia specimen in hoc ipso præseferentes, injuncta pietatis, & religionis opera exercent; & singuli in semetipsis id, quod pro aliis postulabunt, obtineant; & quas pro Fratribus preces supplicationesque offerent, eidem honorum omnium largitori, innocentiæ & charitatis suæ merito commendent.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & suprema ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus & singulis utriusque sexus Christianis, in quacumque mundi parte existentibus, & in Apostolicæ Sedis gratia & obedientia manentibus, etiam illis, qui forsitan elapso Anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem Jubilæum à Nobis concessum adepti sunt, vere poenitentibus & confessis, & sacra Communione refectis, qui intra sex menses, à die publicationis præsentium in qualibet diocesi faciendæ computandis, ecclesiam ipsius cathedralis, seu majorem, aliisque tres ejusdem civitatis, aut loci, sive in illius suburbis existentes, ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, aliisque de ipsorum mandato, designandis, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam ecclesiasticos, nimirum à primis Vesperis unius diei, usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro Sanctæ Martiris Ecclesiæ exaltatione, hærensium extirpatione, catholicorum principum concordia, & christiani populi salute & tranquillitate, ejus ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ejusdem Anni Jubilæi omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor basilicas, seu ecclesias, intra & extra Urbem pro consequendo Jubilæo hujusmodi à Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, & alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Navigantes vero, & iter agentes, ut si post elapsos menses hujusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se recipiant; suprascriptis prædictis, & visitata totidem vicibus ecclesiæ cathedra-

»dra-

»drali, vel majori, aut parochiali loci eorum domici-
»lii, seu stationis hujusmodi, eandem Indulgentiam
»consequi possint, & valeant. Nec non prædictis lo-
»corum Ordinariis, ut cum monialibus, oblatis, aliis-
»que puellis, aut mulieribus, sive in monasteriorum
»clausura, sive in aliis religiis, aut piis domibus, &
»communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quo-
»que & Eremitis, ac aliis quibuscumque tam laicis,
»quam ecclesiasticis personis, secularibus, vel regu-
»laribus, in carcere, aut captivitate existentibus, vel
»aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque im-
»pedimento detentis, quominus supra expressas visi-
»tationes exequi possint, super præscriptis hujusmodi
»visitationibus tantummodo: cum pueris autem, qui
»nondum ad primam Communionem admissi sunt,
»etiam super Communione hujusmodi, dispensare, ac
»illis omnibus & singulis, sive per se ipsos, sive per
»eorum, earumque Regulares Prælatos, aut Superio-
»res, vel per prudentes Confessarios, alia pietatis, cha-
»ritatis, aut religionis opera, in locum visitationum
»hujusmodi, seu respective in locum Sacramentalis
»Communionis prædictæ, ab ipsis adimplenda præscri-
»bere; atque etiam Capitulis, Congregationibus, tam
»Secularium, quam Regularium, sodalitatibus, con-
»fraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibus-
»cumque, ecclesias hujusmodi processionaliter visitan-
»tibus, eadem visitationes ad minorem numerum, pro
»suo prudenti arbitrio, reducere possint ac valeant,
»earumdem tenore presentium concedimus pariter, &
»indulgemus.

»Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis,
»ut sibi ad hunc effectum Confessarium quencumque
»ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali
»Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constitu-
»ta sunt, approbatur: ceteris autem omnibus & sin-
»gulis utriusque sexus Christifidelibus, tam laicis,
»quam ecclesiasticis, secularibus, & cujusvis Ordinis,
»Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nomi-
»nandi Regularibus, licentiam concedimus, & facul-
»tatem, ut sibi ad eundem effectum eligere possint
»quencumque Presbyterum Confessarium, tam Secu-
»larem, quam cujusvis etiam diversi Ordinis & Insti-
»tuti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in
»quorum civitatibus, diocesisbus, & territoriis Confes-
»siones hujusmodi excipiende erunt, ac personarum
»secularium Confessiones audiendas approbatur; qui
»intra dictum semestris spatium, illas, & illos, qui
»scilicet præsens Jubilæum consequi sincere, & serio
»stauerint, atque, ex hoc animo ipsum lucrandi, &
»reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplen-
»di, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedant,
»hac vice, & in foro conscientie dumtaxat, ab
»excommunicationis, suspensionis & aliis ecclesiasti-
»cis sententiis & censuris, à Jure, vel ab homine
»quavis de causa latis, seu inflicis, etiam Ordinariis
»locorum, ac nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in bul-
»la die Cœnz Domini legi solita, seu per alias quas-
»cumque apostolicas constitutiones quomodocumque
»reservatis, & à sacris canonibus fulminatis: nec non
»ab omnibus peccatis & excessibus, quantumcumque
»gravibus, & enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac
»nobis, & Sedi Apostolicæ, ut præsertim, reservatis,
»injuncta ipsis penitentia salutari, aliisque de jure in-
»jungendis, absolvere; nec non vota quæcumque etiam
»jurata, ac Sedi Apostolicæ reservata (casualitatis, re-
»ligionis, & obligatoris, quæ à tertio accepta fue-
»runt, seu in quibus agatur de præjudicio tertii, sem-
»per exceptis, nec non pœnalibus, quæ præservativa
»à peccato nuncupantur, nisi commutatio futura ju-
»dicetur ejusmodi, ut non minus à peccato commit-
»tendo refrænet, quam priori voti materia) in alia pia
»& salutaria opera commutare; & cum Penitentibus
»hujusmodi in Sacris Ordinibus constitutis, etiam Re-
»gularibus, super occulta Irregularitate ad exercitium
»eorumdem Ordinum, & ad superiorum assensionem,
»nob censuram violationem dumtaxat contracta, dis-
»pensare possint, & valeant, eadem auctoritate, &

»apostolicæ benignitatis amplitudine, concedimus &
»indulgemus.

»Non intendimus autem per præsentés super aliqua
»alia Irregularitate vel publica, vel occulta, seu de-
»fectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate,
»quocumque contractis, dispensare, vel aliquam fa-
»cultatem tribuere super præmissis dispensandi, seu
»habilitandi, & in præteritum statum restituendi, etiam
»in foro conscientie, neque etiam ulli Confessario fa-
»cultatem absolventi Complicem in quolibet inhones-
»to contra sextum præceptum peccato, aut Compli-
»citem absolvendi hujusmodi ad effectum presentium eli-
»gendi licentiam impertiri, ut jam in aliis Nostris liti-
»ris incip. Sacramentum Penitentia: Anno Incarnatio-
»nis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo
»primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostris anno pri-
»mo editis, generaliter declaratum fuit; neque demum
»eadem presentes iis, qui à Nobis & Apostolica Se-
»de, vel ab aliquo Prælato, seu Jure Ecclesiastico,
»nominatim excommunicati, suspensi, interditi, seu
»aliis in sententiis, & censuris incidisse declarati,
»vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dic-
»torum sex mensium satisfecerint, & cum partibus, ubi
»opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari pos-
»se, aut debere.

»Ceterum, si qui post inchoatum, hujus Jubilæi
»consequendi animo, præscriptorum operum implemen-
»tum, morte præventi, præfinitum visitationum nume-
»rum complere nequiverint; Nos pia promptaque illo-
»rum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere
»penitentes & confessos, ac Sacra Communione res-
»tauratos, prædictæ Indulgentiæ & remissionis participes
»perinde fieri volumus, ac si prædictas ecclesias die-
»bus præscriptis reipsa visitassent. Si qui autem, post
»obtentas, vigore presentium, absolutiones à censu-
»ris, aut votorum commutationes, seu dispensationes
»prædictas, serium illud, ac sincerum, ad id alias re-
»quisitum, propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac
»proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera ad-
»implendi, mutaverint; licet propter id ipsum à pec-
»cati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus
»hujusmodi absolutiones, commutationes, & dispen-
»sationes ab ipsis cum prædicta dispositione obtentas,
»in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

»Ut autem hujus consilii Nostris, quod pro totius
»populi Christiani salute & sanctificatione suscepimus,
»optatum consequamur effectum, maxima, post Deum,
»fiducia Nobis reposita est in Venerabilium Fratrum
»Nostrorum Ecclesiæ Dei Antistitum cooperatione &
»sedulitate. Itaque omnes Patriarchas, Primates, Ar-
»chiepiscopos, Episcopos, aliosque Ordinarios loco-
»rum Prælatos, sive Ordinarios locales jurisdictionis
»modi, legitime exercentes, gratiam & communionem
»Sedis Apostolicæ habentes, per nomen Domini Nos-
»tri & Pastorum Principis JESU CHRISTI, & per cha-
»ritatem Ecclesiæ ipsius sponsæ, hortamur, rogamus,
»atque etiam Apostolica auctoritate ipsis injungimus,
»ut simul ac presentium literarum exempla ad eorum
»manus pervenerint, non solum easdem solemniter
»publicare, & in reliquis sibi superioris injunctis exe-
»qui non prætermittant, verum etiam omni studio
»adnitantur ut fideles sub eorum regimine constituti,
»oblatam sibi occasione reformationis, reconciliationis,
»penitentis, & sanctificationis, cum gaudio suscipiant: ac se
»Apostolicæ Sedis favoribus & gratiis dignos exhiben-
»tes, has ipsas in uberrimum animarum suarum, eccle-
»siæque universæ fructum convertant. Quid jam ab Ip-
»sorum Antistitum zelo, in preparandis ad universalis
»Jubilæi acquisitionem subjectis sibi plebibus, præsta-
»ri optaverimus, dudum eisdem per Apostolica scrip-
»ta ex hac Sede directâ significavimus. Quid vero Nos
»ipsi in hac Urbe nostra, in eundem finem, præstite-
»rimus, ad eorum notitiam perlatum fuisse putamus.
»Quo demum pietatis fructu, quo religionis exemplo,
»in hac ipsa Urbe, benedictente Domino, celebrata fue-
»rit ipsius Jubilæi solemnitas, nullum Terræ angulum

»latere arbitramur. Merito igitur ab iisdem Ecclesia-
»rum Pastoribus expectamus, & petimus, ut atten-
»dentes ad Petram, ex qua excisi sunt, suam cum
»Romana Ecclesia unitatem, & communicationem in
»hoc etiam ostendere gestiant, ut singuli in suis ci-
»vitatibus, & diocesisbus id efficere curent, quod ip-
»sæ Ecclesiarum mater, pro totius catholice societatis
»profectu & incremento, pro Christiani populi emun-
»datione & salute, expetit: quod eadem Romana Ec-
»clesia illustribus exemplis commonstrat & docet. Om-
»nes itaque pastorales sollicitudinis curas in id impen-
»dant, ut commissis sibi populis, in ejusdem disci-
»plinæ puritate, christianæque pietatis fervore concor-
»des exhibeant, unusque per omnes catholicas eccle-
»sias bonorum operum splendor appareat; ut omnium
»fidelium consentientibus precibus exoratus Omnipotens
»Pater, Ecclesiam suam miseratione continuata emun-
»det, defendat, & amplifiet: Supremos Principes, qui
»ejus ordinatione in sublimitate sunt, cœlestibus bene-
»dictionibus cumulet: universosque credentes, per viam
»paciis, & per mandatorum suorum semitas, ad ater-
»nam, quam Nobis Unigenitus ipsius Filius prome-
»ruit, gratiæ suæ munere perducat. Tum demum gau-
»dium nostrum plenum erit, ipsique Ecclesiarum Pasto-
»res de profectu Sanctorum Omnium una Nobiscum
»exultatione gaudebunt.

»Charissimos denique in Christo Filios Nostros,
»Imperatorem electum, ac Reges & Principes omnes
»Catholicos, quorum plerique pro hujus Jubilæi ad-
»eorum regna atque domitia extensione, suum Nobis
»desiderium significaverunt; quomodo satis intelligere non
»dubitemus, ex hoc salutari opere in eorum ditioni-
»bus exequendo, cum pie conversationis augmento,
»sincere erga ipsos obedientiæ studium, in populis eo-
»rum ditioi subjectis magis magisque firmatum iri,
»divinæque propitiacionis auxilium, ad ipsorum Domi-
»nantium, eorumque Principatum prosperitatem & pa-
»cem, efficacius implorari; Idcirco eosdem omnes &
»singulos fidentius hortamur atque rogamus, ut omnia
»adumenta, & auxilia præstent dictis ecclesiarum Præ-
»latis, ad hoc ut plium hujusmodi opus aptissimis me-
»diis promovere, & ad optatum finem perducere va-
»leant.

»Præsentés quoque literas per omnia validas, &
»efficaces existere, suosque plenarios effectus, ubi-
»cumque per dictos Ordinarios Ecclesiarum Præsules
»publicate, & executioni mandate fuerint, sortiri &
»obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolica
»Sedis gratia & obedientia manentibus, in hujusmodi
»locis commemorantibus, sive ad illa postmodum ex na-
»vigazione & itinere se recipientibus plenissime suffra-
»gari volumus, atque decernimus; Non obstantibus
»de indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque
»Apostolicis, & in universalibus, provincialibus, &
»synodalibus Conciliis editis constitutionibus, ordina-
»tionibus, & generalibus, seu specialibus absolutio-
»num, seu relaxationum, ac dispensationum reserva-
»tionibus, etiam in prædicta contentis: nec non quo-
»rumcumque, etiam Mendicantium, & Militarium Or-
»dinum, Congregationum, Societatum, & instituto-
»rum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, con-
»firmatione apostolica, vel quavis firmitate alia robo-
»ratis statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus,
»etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indulgen-
»tiis, & literis apostolicis eisdem concessis, præsertim
»in quibus caveatur expresse, quod alicuius Ordinis,
»Congregationis, Societatis, & Instituti hujusmodi
»Professores extra propriam religionem peccata sua
»confiteri prohibeantur. Quibus omnibus & singulis,
»etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis,
»eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & in-
»dividua mentio faciendâ, vel alia exquisita forma ad-
»id servanda foret, hujusmodi tenores insertis, & for-
»mas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice,
»& ad præmissorum effectum dumtaxat, plenissime
»derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

»Volumus autem, ut earumdem presentium transum-

»tis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus
»Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in eccle-
»siastica dignitate constitutæ munitis, eadem ab om-
»nibus fides exhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhi-
»beretur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

»Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc
»nostræ extensionis, hortationis, commissionis, con-
»cessionis, derogationis, decreti, & voluntatis infrin-
»gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem
»hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipo-
»tentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum
»ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno
»Incarnacionis Dominicæ millesimo septingentesimo quin-
»quagesimo, Octavo Kalendas Januarii, Pontificatus No-
»stri Anno Undecimo. — D. Card. Patroneus. — J. Data-
»rius. — Vissa de Curia J. C. Boschi. — Loco & Plum-
»bi. — J. B. Eugenius. — Registrata in Secretaria Bre-
»vium.

»Anno à Nativitate Domini Nostris JESU CHRIS-
»TI millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, In-
»dictione quattodecima, die vero prima mensis Januarii
»in festo Circumcisionis ejusdem Domini Nostris JESU
»CHRISTI, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo
»Patris, & Dom. Nostris D. Benedicti divini Providen-
»tia Pape XIV. Anno Undecimo, supradicta Constitutio
»affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Late-
»ranensis, & Principis Apostolorum, & Cancellariæ
»Apostolicæ, Curiaque Generalis in Monte Citorio,
»& in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis,
»& consuetis Urbis per Dominicum Contini Apost.
»Curs. — Antonius Pellicia Mag. Curs.

Ad uberiorem intelligentiam allata constitutionis
»de extensione universalis Jubilæi, juvat hic subnecte-
»re plura dubia per varias suas Apostolicas literas ab
»eodem vigilantissimo Summo Pontifice resoluta, & ex-
»planata; Cum enim ipse per suam constitutionem in-
»cip. Celebrationem Magni Jubilæi: moneat omnes lo-
»corum Ordinarios, ut ad removendas omnes difficulta-
»tes, & controversias à Theologis Moralibus de Anni
»Sancti Jubilæo excitatas ad suas apostolicas literas res-
»cursum habeant, & præsertim ad constitutionem in-
»cip. Convocatis: & ad epistolam Italianicam impressam in-
»cip. Fra le fatiche: in quibus plurima ad hujusmodi con-
»troversiarum, & difficultatum solutionem adnotata re-
»periuntur, hinc juxta illas variorum dubiorum solutio,
»exponendo breviter speciales Bullæ particulas, hic
»traditur.

Et in primis quod per *ly Vere penitentibus, & con-*
»fessis, indicatur non sufficere pro Jubilæo lucrando
»Confessionem in voto, sive actum Contritionis dum-
»taxat cum proposito non peccandi de cetero; cum
»sub nomine *penitentis* contritus importetur, & sub
»nomine *Confessi* eademmet actualis Confessio Sacra-
»mentalis demonstretur, & exquiratur: Hanc opinionem
»firmat Benedictus XIV. in laudata epistola, *Fra le fa-*
»»tiche num. 6. eamque ecclesiæ sententiam appellat, me-
»morando ibi responsum Congregationis Indulgentiarum,
»pro missionariis, qui Confessario carentes, Indulgentiam
»plenariam consequi non poterant, quibus Clemens XII.
»nova specialis gratia solius actus Contritionis consuluit.

Immo ita necessario ad comparandum Jubilæum, &
»Indulgentiam requiritur Sacramentalis Confessio, ut ad
»eam teneantur etiam, qui solis peccatis venialibus, &
»nullo mortali sunt coinquinati; Cum enim ecclesia pro
»Jubilæo opera consilii, & supererogationis præscribat,
»ubi Confessio operibus præscriptis annumeratur, etiam
»de solis venialibus pro comparanda Indulgentia fieri
»debet; ut tradit idem Pontifex in dict. constit. *Con-*
»»vocatis §. 46. & in dict. epistola, *Fra le fatiche num. 77.*

Insuper ita pro acquirendo Jubilæo requiritur Sacra-
»mentalis Confessio, quod qui ipsam visitationibus eccle-
»siarum præmisit, si istarum tempore in mortale incidat
»peccatum, aut peccati mortalis oblii recorderetur, ulti-
»mum opus in gratia conficiat, teneatur iterum Sacra-
»mentaliter confiteri, nec ei sufficiat actus contritionis. Sic
»idem Pontifex in dict. constit. *Convocatis §. 47. & in recen-*

sita Epistola num. 79. Nec sufficit Confessio voluntarie nulla, seu sacrilega, ut deducitur ex propositione 14 inter damnatas ab Alexandro VII. 24. Sept. 1665. à nobis jam ad id adducta infra art. 3. num. 25.

54 Per ly *Et sacra Communione refectis*, denotatur quod requiritur Communio Sacramentalis spiritualis in gratia facta, & non sufficit communio sacrilega, ut colligitur ex propositione 55. ex damnatis ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. jam à nobis ad id allata loc. cit. num. 28. & firmat Pontifex in laudata epistola n. 2. qui primus pro Jubilæi Indulgentia lucranda hanc de Communione conditionem adjecit propter momenta in ejusdem Alloquutione Consistoriali descripta die 5. Maji 1749.

55 Per ly *semel saltem in die*, designatur, quod omnes quatuor statutz ecclesiæ visitandæ sint semel saltem in eadem die; nec sufficit unam ex ipsis uno die, & alteram altera die intra præfinitum Jubilæi tempus visitare; ut docet praxis, & ita fieri debere sancivit peculiaris Congregat. Eminentissimorum Cardinalium, & Prælatorum anno 1700. ab Innocentio XII. ad id deputata. Quod etiam expressit in sua tunc temporis notificatione Eminentiss. Cardinalis Gaspar Carpegna Romæ Vicarius, uti videre est supra in hoc art. 1. num. 30. & impressarum firmat Benedictus XIV. ex valore ipsorum verborum *semel saltem in die*, in const. *incipit. Peregrinantes*: & in laudata Epist. num. 11.

56 Per ly *Dies sive naturales, sive ecclesiasticos*, indicatur, quod utraque dies, aut *naturalis* incipiens ab una media nocte, & in alteram subsequentem desinens, aut *ecclesiastica*, incipiens à primis vespertis unius diei usque ad ipsius subsequens diei vespertinum crepusculum, ad visitationes peragendas idonea declaratur, ut expresse idemmet Pontifex in const. *Benedictus Deus §. Itaque*, & in dict. epistola num. 13.

57 Per ly *visitaverim*, quamvis satius sit intelligi visitationes ecclesiarum faciendas esse in gratia, sicut & alia opera injuncta pro Jubilæo comparando; attamen si visitationes ecclesiarum, & alia injuncta opera executioni mandentur cum devotione, & reverentia juxta Extravag. *Ingenitur*, & aliam *Quemadmodum*; & constitutionem Benedict. XIV. *insip. Peregrinantes*: ita ut pie disponant ad Sacramentalem Confessionem, & Communionem, id est modeste, & devote in ecclesia colendo Deum, & venerando Sanctos, adeo ut actus moraliter boni dici possint, dummodo ultimum opus ex injunctis in gratia adimpleatur; certum est ab hisce sic Deo reconciliatis Indulgentiam plenariam Jubilæi lucrari, ut jam tradimus supra art. 3. num. 46. & firmat idem Pontifex tum constit. *Convocatis*, tum in epistola, *Fra le fatiche* num. 76. Nec officit quod in bulla Jubilæi Confessio pro prima ex injunctis operibus recenseatur, sicque videatur Confessionem debere aliis operibus præmitti; Non officit, inquam, quia ordo verborum nequit esse regula pro ordine facti, ut ad rem nostram significat idem Pontifex in cit. *epistol. num. 76.*

58 Non lucrantur autem Jubilæum, qui in peccato mortali ecclesiarum visitationes peragunt, & insuper proavo fine, vel sine recta intentione, v. g. ut obtineant, ut curiosi satisfaciunt, & id genus alia, ab intento comparandi Jubilæum penitus aliena, ut recte declarat laudatus Pontifex in cit. constit. *Convocatis*; & in d. epistola num. 76.

59 Per ly *Pias ad Deum preces effuderint*, significat Pontifex, pro lucrando Jubilæo sufficere orationem vocalem, & quamvis laudanda sit oratio mentalis, addendam vult aliquam vocalem in citat. const. *Convocatis* §. 71. Et insuper brevem orationem magno fervore factam satis esse declarat ad satisfaciendum fini constitutionis *Peregrinantes*, seu Jubilæo in laudata epistola num. 83. Non autem sufficere modicam orationem ex accedia, aut torpore provenientem, nam cum ipsa devotionem excludat, inepta est ad Jubilæum comparandum.

60 Per ly *Plenissimam ejusdem anni Jubilæi omnium peccatorum suorum Indulgentiam*, occasione sumit Pontifex erudite demonstrandi primis ecclesiæ seculis usque ad annum MCCC. Indulgentiam hanc plenariam

consequi volentibus, necesse fuisse in Palæstinam se conferre ad pugnandum pro Terræ Sanctæ recuperatione, ut videre est in Concilio Claramontano, ubi Urbanus II. hanc Indulgentiam concessit: Neque aliam seculis illis extra Terram Sanctam potuisse comparari Indulgentiam plenariam usque ad exordium decimi quarti seculi, in quo Bonifacius VIII. illam concessit pro Anno Sancto Jubilæi. Sic laudatus Pontifex in epistola encyclica *incipit. Celebrationem*: Quomodo autem sit intelligenda Indulgentia plena, plenior, & plenissima, jam trademus in verb. *Indulgentia art. 1. num. 10. Vide ibi.*

Per ly *Semel consequantur*, intelligitur quod Jubilæum 61 Anni Sancti quoad facultates semel tantummodo, quoad Indulgentias vero pluries repetitis operibus injunctis intra tempus præfinitum comparari posse, ut declaravit Sanctissimus in const. *Convocatis*, & in cit. epistola num. 84. & expressit in bulla Jubilæi *Benedictus Deus §. Itaque*, ibi: *Indulgentium, remissionem & veniam semel consequantur. Nemo tamen potest Indulgentiam Jubilæi hujus pro se acquiratam, mortuis applicare; Nam idem Pontifex in cit. epistola firmat Regulam esse, non posse, Indulgentias vivis concessas, pro defunctis applicari per modum suffragii, nisi id in concessione exprimat. Generaliter autem eandem Indulgentiam plenariam, etiam repetitis operibus eadem die iterari non posse declaravit Sacra Congregatio Indulgentiarum die 7. Martii 1678. approbante Sanctæ memoriæ Innocentio XI. Vide verb. *Indulgentia articulo. 3. num. 23. & artic. 4. num. 15. in fine.**

Per ly *Navigantes vero, & iter agentes*, declarat Pontifex quod navigantes, & iter agentes, seu aliò ad certam stationem se recipientes, post elapsum Jubilæi tempus, possint ipsum lucrari, visitata totidem vicibus ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loci eorum domicili, sive stationis hujusmodi. Sic ipse expressit in eadem bulla *Benedictus Deus §. Navigantes.*

Per ly *Super præscriptis hujusmodi visitationibus tantummodo*, determinat Sanctissimus, quod non omnia opera in Jubilæo injuncta in alia pia opera commutari possint, sicque hanc commutationis facultatem non extendi ad Confessionem, aut Communionem (exceptis nondum ad Communionem idoneis) neque ad ipsas preces in visitationibus fundendas, ut monet in laudata epistola n. 53. Quinimmo tum *ibi*, tum in constitutione *Convocatis* §. 21. pro Romano Jubilæo onerat conscientias Penitentiariorum, ne hac tam in minuendis, quam commutandis visitationibus, abutantur; Et in epistola encyclica omnibus locorum Ordinarius directæ permittit, ut justis solum de causis opportunas commutationes, & reductiones concedant. Hinc clare stat, facultatem commutandi concessam se extendere tantummodo super præscriptis visitationibus, ut expresse statuitur in eadem constitutione *Benedictus Deus §. Navigantes.*

Per ly *Alia pietatis, charitatis, aut religionis opera*, 64 intelligendum est, quod nisi qui Jubilæi Indulgentiam largitur, aliter expresse asserat, commutatio visitationum, aut Communionis cum pueris nequit fieri in alia opera, quibus penitentiam jam alio oneris titulo sit adstrictus, ut relatis ad id Doctorem diversis opinionibus, æquius censet Benedictus XIV. in d. Epistola, *Fra le fatiche* 13. de Italico in latinum conversa, sic: *Æquior tamen opinio ea videtur, qua inficiatur Indulgentiam comparari posse operibus, ad que alio titulo quis adstringitur; Nisi tamen, qui Indulgentiam largitur, expresse asserat, eam prædictis aliunde jam debitis operibus acquiri posse, seu si quis inter injuncta opera, tria Septuaginta recenset, eaque quatuor anni temporibus, puta Septembris, spectatim asserat esse complenda. Ex quibus patet, quod quando Legislator absolute loquitur, ad lucrandum Jubilæum, uti non possumus operibus, que alio titulo Deo debentur; Et paulo post arctius pro visitationibus, sic habet; Cum nequeant penitenti commutari (visitationes Basilicarum) in pia opera, que alio titulo idem adimpleri tenentur; Cum hic agatur de subrogatione, & juxta sanctam regulam, subrogatum ejusdem nature, & indolis esse debeat cum re, pro qua supponitur; Si ergo basilicarum visitatio libera,*

est, nullique præcepto obnoxia, sed novum tempus addit ad Indulgentiam consequendam, subrogatum ejusdem nature, & speciei non erit, si jam cadat suo præcepto, si ex eis sit, ad que penitentia alio titulo sit adstrictus. Unde non videtur subsistere Auctorum opinio, qui eadem Paschali Communione, & præcepto Communionis Paschalis & Jubilæo satisfieri posse censuerunt.

65 Per ly *ad minorem numerum*, duplex potest dubium expendi. I. An si decursu temporis Jubilæi, indultum minorationis visitationum exiret, qui jam tot vicibus ecclesiæ visitasset, quod satis essent ad implendum numerum in minoratione præscriptum, ad alias visitationes teneretur: Et responderetur, certum esse valere visitationes ecclesiarum jam juxta minorationem completas: hac tamen adjecta conditione, quod post minorationem adhuc semel quatuor designate ecclesiæ unica die visitentur. II. An qui aliquibus vicibus jam ecclesiis visitavit ante Indultum minorationis, post idem possit jam ante factas numerare pro his, que in minoratione restringuntur? Et responderetur certum esse jam factas visitationes ecclesiarum numerum ingredi in minoratione præscriptum. Ita sancit, & firmat idem Pontifex in recensita epistola num. 82. & citat. constitutione *Convocatis* §. 50.

66 Per ly *Insuper iidem Monialibus, earumque Novitiis*, explicat Pontifex eos solummodo posse Moniales, & Novitias eligere Confessarios, quos actualis loci Ordinarius, vel universaliter, vel pro aliquo peculiariter monasterio approbavit, nec postea reprobat; Sic in eadem bulla *Benedictus Deus §. Insuper*, & in epistola encyclica *Celebrationem §. Cum auctorem*; declarans insuper electionem hanc esse debere ad effectum Jubilæi consequendi, his verbis: *Licere Monialibus earumque Novitiis in hoc præfinito Jubilæo ad effectum ejusdem Jubilæi consequendi, Confessariorum eligere ab actuali Ordinario loci, etiam pro alio monasterio vel pro Monialibus in genere approbatum.*

67 Per ly *Regularibus*, declarat Sanctissimus posse Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nominandi tempore Jubilæi, sine proprii Superioris facultate sibi eligere pro suo arbitrio quemcumque Confessarium, sive Seculare, sive Regularem, cujusvis Ordinis, approbatum ab Ordinario loci ad personarum secularium Confessiones audiendas. Sic expresse in eadem constit. *Benedictus Deus §. Insuper*. Nec valet dicere, quod sicut Regulares sine sui Superioris facultate non possunt extra suum Ordinem Confessarium eligere vigore Bullæ Cruciatæ, ut sanctum est à pluribus Summis Pontificibus, & præsertim à Benedicto XIV. constit. *incipit. Apostolica Indulta*: Ita neque possunt virtute Bullæ Jubilæi; Non valet, inquam, quia ideo non possunt id Regulares virtute Bullæ Cruciatæ, quia cum Cruciatæ sit privilegium permanens, si in Regularibus Ordinibus hoc Jus vigeret, iisdem etiam detrimentum foret, Jubilæum autem cum sit privilegium transiens, & cito præteriens, omnibus favet, & nulli nocet; adeoque possunt Regulares sibi eligere quemcumque Confessarium extra Ordinem ut supra virtute Jubilæi, & non vigore Cruciatæ: quam rationem reddit idem Pontifex in laudata epistola, *Fra le fatiche* n. 36. & nos fuse tradimus infra art. 2. n. 3. Vide ibi.

68 Per ly *Sincere, & serio staverint*, demonstratur eum, qui præsens Jubilæum consequi serio, & sincere nolit, neque absolutionem à censuris, neque alias facultates consequi posse, ut firmat Pontifex in recensita epistola num. 62. ubi rationem reddens dicit: *Nam si facultates in ordine ad Jubilæum conceduntur, usum deperdunt, ubi quis ad Jubilæum consequendum nolit accedere; Et Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. cap. 16. num. 6. sic expresse tradit: Gratia non conceditur nisi in ordine ad hunc finem, & per modum preparationis ad effectum Jubilæi: ergo qui non habet animam implendi, & obtinendi Jubilæum non potest gaudere facultate.*

69 Per ly *Et censuris*, intelligendum venit dumtaxat de Interdicto, suspensione, & excommunicatione juxta c. Quarenti 10. de verb. signific. & non de Irregularitate ex delicto contracta. Sic idem Pontifex in laudata epistola num. 50. ubi censuras ab Irregularitate secernit, & pro censuris nomen *absolutionis*, pro Irregularitatibus

vero nomen *dispensationis*, juxta phrasim Tridentini sess. cap. 6. de Reformat. data opera se adhibuisse significat.

Per ly quamvis ampla concedatur facultas, non tamen absolventi ab heresi externa: ut constat tum ex decreto Alexandri VII. in Congregatione S. Officii die 23. Martii 1656. ubi habetur, *facultatem absolventi ab heresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolventi ab heresi*; Tum ex iis, quæ tradit idem Benedictus in constit. *Convocatis*, & in memorata epistola num. 85. ac in quarta Notificatione edita ab ipso adhuc Cardinali, & Archiepiscopo Bononiæ residente.

Per ly *Quantumcumque gravibus, & enormibus*, ne aditus pateat aliquibus asserendi Jubilæi tempore. casum aliquem enormem reservatum esse, ut nonnulli Auctores ex bullis Alexandri VI. *Cum in principio*, Clementis VII. *Pastoris æterni*, & Pauli II. *Essi Dominici Gregis inter Extravag. commun. de penitent. & remissionib. dixerunt*, Bened. XIV. omnem submovit difficultatem, haec adiciendo ampliantem clausulam, sicut se explicat in d. epistola, num. 37.

Per ly *injuncta ipsis penitentia salutari*, declarat onus imponendi, & adimplendi salutarem penitentiam in Jubilæo, ut tradit Pontifex in recensita epistola n. 65. recte animadvertens neminem vere penitentem esse posse juxta cap. Omnis utriusque sexus 10. de penit. & remissionib. qui salutare refugit penitentiam.

Per ly *Vota quæcumque*, expresse conceditur Confessariis Jubilaribus facultas commutandi in alia pia, & salutaria opera vota quæcumque, etiam jurata, & Sedi Apostolicæ reservata exceptis votis solemnibus castitatis, religionis, & obligationis jam à tertio acceptatis, seu in quibus agitur de præjudicio tertii, & penalibus pro preservatione à peccato emissis, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus à peccato committendo refrænet, quam prior voti materia. Sic ipse Pontifex in eadem bulla *Benedictus Deus §. Insuper*, in const. *Convocatis*, & citat. epistola num. 40. & seq.

Per ly *Super oculis Irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum*, venit intelligendum, quod Confessarii in Jubilæo possunt, sicuti in majoribus Ordinibus, sive Sacris, dispensari super oculis Irregularitate ob censuram violatione contracta in exercitio suorum Ordinum, ut expresse in Bulla *Benedictus Deus §. Insuper in fin.* Ita etiam possunt à fortiori dispensare in iis Minorum Ordinum, qui Irregularitatem prædictam ob earumdem censuram violationem contraxerunt, quamvis in bulla non exprimat, quia ut explicat Pontifex in d. epistola, *Fra le fatiche* n. 50. concessio majori, minus etiam concessum intelligitur, cap. Ex parte 18. de decimis, cum plus semper in se continet quod est minus, cap. Plus 35. de Regul. Jur. in 6. l. in eo quod plus 210. ff. de Reg. Juris; Et cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, cap. Cui licet 43. de Regul. Jur. in 6. l. Non debet 21. ff. de Regul. Jur.

Per ly *Concedimus, & indulgemus*, intelligi debet, facultates in Jubilæo concessas, in Confessione dumtaxat exercendas esse, ut declarat Benedict. XIV. in constit. *Convocatis* §. 25. & in memorata epistola num. 63. addens ex thesauro de Penit. *Eccl. p. 1. cap. 20.* hanc esse præxim Penitentiariz, quod nempe prædictæ facultates non nisi intra Confessionem exerceantur.

Per ly *Complicem*, declarat Pontifex complicem Confessarium in quolibet inhonesto contra sextum decalogi præceptum peccato, in quocumque etiam amplissimo Jubilæo non posse Sacramentalem absolutionem impetiri, ex quo ipse per ejusdem Pontificis constit. *incipit. Sacramentum Penitentia: (Verb. Regulares, art. 2.)* & constit. *incipit. Apostolici muneri*, factus sit subiectum incapax sub pena nullitatis ad absolutionem impetendam suo complici in dicto peccato, ut jam tradidimus in Tom. 2. verb. *Complex peccati*, & verb. *Confessarius art. 4. num. 14. Vide ibi.*

Per ly *Nisi intra tempus dictorum sex mensium sa-*

insiderim denotatur quod obligatio imponi solita in absolute a censuris incurris propter damnum illarum, aut injuriam irrogatam, satisfaciendi parti læsæ, non respicit Judicem, ut nonnulli intellexerunt, sed eum, qui damnum, aut injuriam passus est, ut patet ex obvio verborum sensu, & expresse declaravit idem Pontifex in laudata epistola num. 66.

78 Per ly visitarent indulget quidem Pontifex, ut qui morte præveniuntur, antequam præfinitum visitationum numerum compleverint, si vere poenitentes confessi, & Sacra Communione refecti decesserint, Jubilæum consequantur, uti etiam dis; osuit pro Jubilæo Romano in constitutione Peregrinantes. At vero Jubilæum minime consequeretur, qui ante Confessionem, & Communionem ad Jubilæum requisitam interiret, quia Pontifex morte correptos dispensat solummodo à residuis visitationibus, & aliunde declarat quod in operibus præscriptis voluntas exequendi non sufficit, nisi opere compleatur; Sic expresse in toties laudata epistola num. 15.

79 Per ly Si quis autem post obtinens vigore presentium absoluciones à censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes, decernit Pontifex quod qui confessus animo lucrandi Jubilæum, in Confessione obtinuit absolute a censuris, commutationem votorum, vel dispensationem, si deinde mutato animo opera pro Jubilæo injuncta prætermittat, nihilominus predictæ absoluciones, commutationes, vel dispensationes subsistant; licet qui opera implere negligit, vis à reatu peccati immunis censi possit; Sic in hac Bulla Bon. dictus Deus, §. Ceterum; & in Constitutione Convocatis §. 54. ac in dict. epistola num. 86. recte animadvertens absolute non dari conditionate, sed absolute, dummodo pro tunc poenitens habeat animum lucrandi Jubilæum; Unde si post mutet propositum, remanet adhuc absolutus, quamvis peccet. Et quidem probabiliter mortaliter, ut cum Suarez, Aversa, Viva, Vasquez, & Filliuc. videtur sentire Pontifex in toties commemorata Epist. num. 86. quia non satisfacit tacite promissioni in re gravi, cum videatur intervenire tacitum pactum inter Pontificem, & Poenitentem, ita scilicet, ut Pontifex concedat hujusmodi media, & Poenitens ea acceptet, obligando se ad ponendum finem, adeoque, si absque rationabili causa omittat deinde ponere opera injuncta, & lucrari Jubilæum, violabit pactum tacitum in re gravi, sicque graviter peccabit.

Quibus omnibus hucusque traditis, tanquam de irrefragabili mente eruditissimi, sapientissimi, ac zelantissimi Pontificis Bened. XIV. firmiter adhaerendum statuo; quidquid in aliquibus cum variis aliis de Jubilæo contrarium scripserim.

80 Ad complementum hucusque dictorum, placet hic subnectere sequentem constitut. Clement. XIII. qua Jubilæum universale indixit Anno I. sui Pontificatus.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

Universis Christianissimis presentibus Literas inspecturis salutem; & Apostolicam benedictionem.

Veniens in altitudinem maris, & ne adversis fluctantibus ventis tempestas æquarum Nos demergat, gemitibus inenarrabilibus ad Deum clamavimus, ut in suscepto à Nobis Apostolatus officio, & in gerendo hoc gravissimo munere, viribus nostris longe impari efficacissima gratia sua opem, & præsidium copiose largiatur, & preces nostras, quas in hac die tribulationis prolux effundimus, benignissime suscipiat. Quis enim tota mente, atque totis artibus non contemisceret? Quis maximo timoris cruciatu non angereetur? Quis præ tristitia penitus non conficeretur, statuens ante oculos, & diligentissime perpendens Catholicæ Religionis, & hujus Apostolicæ Sedis mostrosissimam faciem? Quis denique acerbissime non deffret tot horrida vulnera, & fidei, & discipline, & viribus nostris inflicta? Sed non opus est tot mala com-

memorare & deferre, & silentio præterire remedia, quibus tot jacturis possumus subvenire. Nullus est morbus tam magnus, tam diurnus, tam desperatus, qui sanari non possit, vel cui certe optulari non valeat pro ineffabili sua Clementia Omnipotens Deus, cujus misericordia superexaltat Judicium. Adeamus cum fiducia ad Thronum ejus in tempore opportuno, arma enim nostra, quibus tot malis fortiter constanterque obsistere possumus, sunt preces, & lacrymæ, Jejunia, & elemosynæ; scimus quod si manserimus in eo, & verba ejus in nobis manserint, quodcumque voverimus, petemus, & fiet nobis. Convertamur igitur ad Deum in toto corde nostro, in jejuniis, in fletu, in planctu, nec avertamus faciem ab illo paupere; ita enim fiet, ut nec à nobis avertatur facies Domini. Hæc autem, ut ferventiori spiritu ardore, majorique fructu peragantur, præsum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum morem sequuti, celestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei nostræ commissa est, proximis diebus, quibus Catholica Ecclesia sacros Quatuor temporum observationes annua recolat devotione, pro felici nostri Pontificatus initio erogare decreverimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, et illa diligendi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis & singulis utriusque sexus Christianissimilibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemni processioni, quam Dominica decima octava post Pentecostem, die videlicet decima septima currentis mensis Septembris ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam Sanctæ Venerab. Frat. nostr. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardin. necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud nos existentibus, Prælati quoque, & Officialibus ejusque Curie, universosque Clero, & populo, benediciente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris præfata Ecclesiæ, seu Basilicæ, vel eorum aliquam intra spatium ejusdem, vel proxime subsequens hebdomadæ saltem semel visita verint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint; ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam reverenter sumserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, prout unicuique suggeret devotio; erogaverint; ceteris vero extra Urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesiæ ab Ordinaris locorum, vel Vicar. seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent; postquam ad eorum notitiam hæc nostræ pervenerint, designandas, vel ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio dierum similiter hebdomadam à publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officialia, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum saltem semel visita verint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria; ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, ut permittitur, erogaverint; plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jub. visitantibus certas concesserint, tenore presentium concedimus, & largimur. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primò ad sua se domicilia receperint, superscriptis peractis, & visitata ecclesia cathedrali, vel majori, aut parochiali loci eorum domic. eandem indulgentiam consequi possint, & valeant.

Re-

Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequeverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis à locorum Ordinar. ante presentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit; eaque injungere, quæ ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Insuper omnibus, & singulis Christianissimilibus utriusque sexus, tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ord. Congregationis, & Instituti, tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflicis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ etiam in Liter. die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & aliis per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores presentibus haberi volumus pro expressis quomodocumque reservatis, in foro conscientia, & in hac vice tantum absolvere, & liberare valeant; Insuper vora quacumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cultibet in supra, omnibus casibus poenitentia salutari, aliisque rebus Confessar. arbitrio injungendis. Quapropter tenore presentium in virtute sanctæ obedientiæ districte precipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerab. Frat. Patriarch. Archiep. & Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælati, ac quibuscumque Ord. locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicar. & Official. vel, illi deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut, cum presentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas ecclesias, & dioceses, provincias, civitates, oppida, terras, & loca publicent, & publicari faciant, ecclesiamque, seu ecclesias visitandas designent.

Non intendimus autem per presentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientia, neque etiam easdem presentes illi, qui à Nobis, & Apostolica Sede vel ab aliquo Prælato, seu Judge ecclesiastico excommunicati, suspensi, interditi, seu aliis in sententiis, & censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dierum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut eorum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Non obstantib. const. & ord. apost. præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus in Rom. Pont. pro tempore existentibus reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nec non regula nostra de non concedendis Indulgent. ad Instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privileg. quoque, indulg. & liter. apost. eisdem ordinibus, congregationibus, & institutis, illorumque personis quomodolibet.

FERRAR. BIBLIOTHEC. TOM. IV.

bet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specificis, expressis, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes hac vice specialiter nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem presentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earundem presentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notar. publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Septembris 1758. Pontificatus Nostri Anno Primo. D. Card. Passionis. J. Datar. Vis. de Curia J. C. Boschi. Loco Plum. J. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Breviarum.

ARTICULUS II.

Jubilæum quod ea, quæ concernunt Confessarium Jubilare.

SUMMARIUM.

- 1 Quæ facultas eligendi Confessarium: quid in regularibus: qualis debet esse: an moniales possint Confessarium eligere Jubilei tempore: pro solis viris approbatus non à mulieribus eligendus: complex an eligi possit: excommunicatus; suspensus; irregularis; & utrum queant eligi, & quæ facultas, ad num. 31.
2 Quid si ex justa causa absolutio poenitenti differatur: potestas committendi voti quid comprehendat, ad num. 53.
3 Qualiter faciendæ est commutatio: quæ hodie non permittuntur Confessario Jubilari: quæ olim poterant commutari: quæ ad commutationem requirantur: varia exempla proponuntur, ad num. 70.

In Jubilæis extraordinariis duarum hebdomadarum conceditur cuilibet seculari facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum; Communis, & patet ex bullis pro talibus Jubilæis edi solitis. Etiam Regulares possunt tempore Jubilæi sine licentia suorum Superiorum sibi eligere Confessarium quemlibet, sive secularem, sive regularem ex approbatis ab Ordinario loci; Navarrus, Suarez, Filliuc. dicens sic esse declaratum à Sacra Congregatione, Bossius, Diana, Bordon. Lugo, Gobat dicens esse rescriptum Roma, ut stetur verbis Bullæ, Bellegambe part. 3. sect. 9. q. 1. cum La Croix lib. 6. part. 5. num. 1464. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 1429. Tamb. tom. 2. pag. 37. num. 40. & sic etiam plures alii. Et de facto verba Bullæ non solum dant potestatem omnibus, & singulis Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti eligendi sibi Confessarium quemlibet, tam secularem, quam regularem, qui ab omnibus casibus absoluti s. sed etiam hanc potestatem concedunt, non obstantibus quibuscumque privilegiis eisdem Ordinibus concessis, etiam si de illis specialis mentio faciendæ esset.

Nec obstant constitutiones aliquæ Summorum Pontificum, & signatur Urbani VIII. constitut. incipient. In specula 19. Julii 1630. declarantes, & respective declarans Bullam Cruciatæ, & alia Indulta hujusmodi Regularibus, & Monialibus non suffragari quantum ad illum articulum eligendi Confessarium independenter à suis Superioribus. Non obstat, inquam, quia ultra quam

Nna

quod,

quod, ut notat Felix Potestas *loc. citat. num. 1429.* & alii, declaratio contraria Pontificum est expresse edita pro Bulla Cruciatæ, minime pro Jubilæo; recte insuper adverteat Card. de Lugo *disp. 20. de Penitentia num. 189.* diversis formulis, & efficacioribus revocari privilegia Regularium in bulla Jubilæi, quam in bulla Cruciatæ. Unde quamvis Regulares non possint vi bullæ Cruciatæ eligere Confessarium sine licentia suorum Superiorum, eo quod privilegium concessum Regularibus, quod non possint eligere Confessarium extraneum, non sit revocatum per bullam Cruciatæ, possunt tamen talem Confessarium eligere vi Jubilæi, eo quod per ejus Bullam censetur revocatum supradictum privilegium, ut patet ex supra adductis verbis in bulla Jubilæi apponi solitis: *Non obstantibus quibuscumque privilegiis iisdem Ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio faciendâ esset.* Et ratio, cur non sit revocatum supradictum privilegium per bullam Cruciatæ, bene vero per Bullam Jubilæi, est, quia bulla, seu Indultum Cruciatæ est pertransiens, & ideo religionibus obesset; Bulla vero, seu Indultum Jubilæi est transiens, favens omnibus, nulli nocens; ideoque sæpe Pontifices declararunt, vi bullæ Cruciatæ se nolle revocare privilegia Religionum; secus vero vi Bullæ Jubilæi; quod præsertim constat ex declaratione Gregorii XIII. apud Rodriguez relata à Pasqualigo *de Jubilæo quest. 206.* his verbis: "Congregatio pro majori parte sensit pro negativa sententia videlicet, quod non possint Confessarium extra Religionem Regulares eligere" dixit tamen dubium esse referendum Sanctissimo Domino, qui postea die 19. Decemb. 1581. in Consistorio respondit: Tempore Jubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata Sacerdotibus etiam Secularibus approbatis ad Confessionem; Nam in bulla non fit mentio, nisi de Ordinario vœorum, qui auditur sunt Confessiones, non de Ordinario penitentis." Immo nedum possunt Regulares Jubilæi confiteri cuicumque Confessario approbato ab Ordinario loci, tam Seculari, quam cujusvis Ordinis Regulari; sed etiam possunt absolvi à casibus suo Superiori Regulari reservatis, ut apud Nicolaum in *Floridulo verb. Jubilæum num. 6.* declaravit Sac. Cong. Episc. & Regul. 19. Apr. 1583. & Alexander VII. die 14. Maji 1653. in suo Brevis *incip. Unigenitus:* & sic antea declarasse Gregorium XIII. testatur Peyrin. *de privileg. Regul. tom. 3. c. 4. n. 3. pag. 1324.* & Murga in *tract. de benef. ecclesiasticis. q. 2. num. 121. pag. 44.*

Confessarius eligendus tempore Jubilæi debet esse approbatus ab Ordinario loci, seu ipsius Confessarii, non autem ab Ordinario penitentis; Ita Sacra Congregatio Concilii interpretando Bullam Jubilæi, & ex ejus sententia Sanctissimus declaravit, Bullam esse intelligendam de Ordinariis eorum, qui audiant Confessiones, non autem de Ordinariis penitentium; Sic refert Fagnan. *lib. decretal. in cap. Ne pro dilatione 16. de penit. & remissionib. num. 19.* Unde Regulares, ut absolvantur à reservatis virtute Jubilæi probabiliter non possunt eligere Confessarium approbatum à solo suo Prælato Regulari; Suarez, Reginald. Vega, Lugo, cum La Croix *l. c. num. 1465.* Filliuc. Lezana, Bossius, Henric. Faustus, & alii cum Viva *de Jubilæo q. 9. art. 1. num. 3.* Pontius *disp. 44. quest. 10. conclus. 5. num. 138.* Barbosa *super Concil. Trident. sess. 23. cap. 15. Quilici q. 5. art. 4. Mattheucci Casella Confessarii lib. 1. cap. 9. n. 8.* & alii. Et ratio, quia per Ordinarios locorum, à quibus Jubilares Confessarii debent esse approbati secundum bullam Jubilæi, ibi: *Ex approbatis à locorum Ordinariis, in communi sensu intelliguntur Episcopi; & secundum Sacram Rotam Romanam part. 11. dec. 33. num. 8. & part. 19. tom. 1. dec. 69. num. 15.* rigorose Ordinarii nomen soli Episcopo spectat, seu convenit, non autem inferiori. Opposita tamen sententia non caret aliqua probabilitate, eamque tutam in praxi vocat Gobat in *Quinario tract. 3. de Jubilæo num. 229.* & probabilissimam, & in praxi tutam appellat Silvius *res. var. verb. Jubilæum 1. quem sequitur Pontas verb. Jubilæum cas. 7.* & tenent Sanctarellus, Coriolanus, Rodriq. Bonac. apud Pasqualigum *q. 208. Diana part. 5. tract. 12. resol. 37.*

& alii dicentes sufficere, si Confessarius sit approbatus à solo suo proprio Prælato Regulari, quia Prælati Regularis est vere Ordinarius suorum subditorum habens in illos jurisdictionem ordinariam, ut dicit Rota *part. 13. dec. 54. num. 15.* appellatione Ordinarii venit omnes, qui exercent jurisdictionem ordinariam, quasi Episcopalem. Tum quia Favorabile interpretationem non recipit, que cum, cui favetur, ledere possit, favente aperte Regula 61. *Juris in 6. que sic expresse habet: Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retrogendum.* Bulla autem Jubilæi plurimum lederet Regulares multos, & præter suum morem cogentur querere Confessarium ab Ordinario loci approbatum, & forte illum querere extra suum conventum.

Moniales tempore Jubilæi non possunt eligere Confessarium non approbatum in specie ad audiendas Monialium Confessiones; deducitur ex constit. XV. *incip. Inscrutabili:* & constitutione Clementis X. *incip. Supernâ:* ubi declaratur, Confessarios approbatos generaliter ad audiendas Confessiones secularium non posse audire Confessiones Monialium sine speciali approbatione pro ipsis. Et hoc etiam clare habetur ex declaratione Sac. Congregationis missa ad Episcopum Abulensem anno 1593. & relata ab Arauxo in *select. tract. 1. sect. 3. num. 15.* & à Cajetano de Alexandris in *Confessario Monialium cap. 6. §. 13. quest. 6.* in qua habetur, quod approbatus ad audiendas Confessiones certi generis personarum, vel in certa ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde quod non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas Confessiones aliarum personarum, aut extra ecclesiam sibi designatas, & sic tanto minus ad audiendas Confessiones Monialium sine specifica approbatione pro ipsis; Viva *de Jubilæo q. 9. art. 2. Molphessius, Pellizarius, Alphonsus de Leon. Faustus cum Cajetano de Alexandris l. c. Mattheucci Official. Curia cap. 13. quoad Confessarios Monialium num. 10. Felix Potestas tom. 1. part. 2. num. 1423. Lantusa verb. Jubilæum num. 2. La Croix lib. 6. part. 2. num. 1469. Quilici Confessarii manuduct. quest. 1. art. 1. num. 12. Polachus, Cespedes, & alii. Immo neque Confessarius approbatus pro uno monasterio potest tempore Jubilæi eligi à Monialibus distincti monasterii, ut colligitur ex cit. constit. Clementis X. *incip. Supernâ;* in qua, ut iam declaraverat Sac. Cong. Concil. super Constitut. Gregorii XV. *incip. Inscrutabili:* in responsione ad nonum, dicitur præcise: *Alique approbatus pro audiendis Confessionibus Monialium unius monasterii, minime posse audire Confessiones Monialium aliterius monasterii;* Mattheucci *l. c. num. 30. Viva l. c. sub num. 1. & alii. Vide verb. Approbatio art. 3. à num. 5. ad 12. & verb. Bulla Cruciatæ num. 12.**

Non desunt tamen, qui defendant absolute contrarium, ut Peyrinus *tom. 3. cap. 4. num. 4. pag. 225.* Bonacina *de sacramentis disp. 5. quest. 7. num. 72.* Bossius *sect. 2. punct. 4.* Pasqualigum *de Jubilæo quest. 210.* Portell. & Summa *Dianæ verb. Jubilæum num. 20.* & alii volentes, quod etiam Moniales tempore Jubilæi possint eligere quemcumque Confessarium ex approbato ab Ordinario locorum. Et ratio eorum est, quia bulla Jubilæi permittit omnibus utriusque sexus fidelibus etiam Regularibus, quod possint eligere Confessarium approbatum ab Ordinario locorum absolute; adeoque non apparet ulla ratio, cur requiratur specialis approbatio pro Monialibus. Et confirmant ex constitut. Urbani VIII. *incip. Pontificia sollicitudo:* in qua pro Jubilæo anni 1625. expresse concessit Monialibus, quod possent eligere quemcumque Confessarium ex approbato ab Ordinariis locorum, quod & concessit Innocentius X. pro Jubilæo anni 1650. ut refert Pasqualigum *loc. cit.* Et ad constitutiones Gregorii XV. *incip. Inscrutabili:* & Clementis X. *incip. Supernâ;* & ad decreta Sacre Congregationis, in quibus declaratur, Confessarios approbatos generaliter ad audiendas Confessiones secularium non posse audire Confessiones Monialium sine speciali approbatione pro ipsis, respondent supradicti Doctores, id verum esse extra Jubilæum, non vero tempore Jubilæi, pro quo Pontifices solent concedere etiam Monialibus, quod

quod possint eligere quemcumque Confessarium ex approbato ab Ordinariis locorum.

At non sint isti audiendi, nec sequendi, nisi aliter à Sancta Sede statuatur, ut declaretur, quia supradicti Pontifices in citatis Constitutionibus non dicunt absolute, ut Sanctimoniales possint eligere Confessarios quoscumque ex approbato ab Ordinariis locorum, sed expresse additur: *Ab eisdem Ordinariis locorum ad id probatis,* id est, ut explicant Doctores, ad munus Sanctimonialium Confessiones excipiendi probatos. Et quamvis in Jubilæis extraordinariis pro omnibus concessis soleat concedi generaliter, & absolute pro omnibus etiam Regularibus utriusque sexus facultas eligendi quemcumque Confessarium ex approbato ab Ordinariis locorum; tamen adhuc propter supra adducta dicendum est, non posse Moniales eligere nisi Confessarios specialiter approbatos pro ipsis, quia ex Regula 81. *Juris in 6. in generalis concessione non veniunt ea, que quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

Debent autem Ordinarii tempore Jubilæi approbare plures Confessarios, sive Seculares, sive Regulares, quos Moniales ipse extulerint, ut eos possint Moniales pro majori suo spiritali solamine eligere pro Jubilæo lucrando juxta intentionem Pontificis, ut decrevit Sac. Congr. Episcoporum & Regul. 31. Martii 1634. apud Lantusa *verb. Jubilæum sub num. 1.*

Confessarius approbatus limitate pro solis viris non potest tempore Jubilæi eligi à mulieribus; Ita Confessarius approbatus pro solis rusticis, non potest eligi à civibus; sic etiam approbatus limitate pro uno tantum loco, non potest eligi extra illum locum; Sic expresse habetur ex declaratione Sacre Congregationis missa ad Episcopum Abulensem anno 1593. relata supra sub num. 8. & tenent Filliuc. *tract. 7. cap. 9. num. 262. Diana part. 5. tract. 12. resol. 48. Gobat de Jubilæo cap. 31. num. 233. Viva de Jubilæo quest. 9. art. 2. num. 4. Bossius sect. 3. cas. 2. Trullench. Suarez, Rodriguez, Villalobos, Homobonus, Bordon. Tambur. Lugo cum La Croix lib. 6. part. 2. num. 1467. contra alios. Nec tempore Jubilæi potest eligi Confessarius complex, seu socius criminis, ubi id per legem diocesanam, seu Episcopi prohibetur, quia ibi relate ad complicem non habet Confessarius approbationem, cum Episcopus talem Confessarium non approbet, immo positive reprobet respectu ad suum complicem, seu socium sui criminis; Bonac. *de Sacramentis quest. 7. punct. 5. §. 4. n. 10. Moron. resol. 98. Aversa quest. 27. sect. 6. Viva quest. 11. art. 3. num. 4. Bellegambe quest. 5. & 6. La Croix loc. cit. num. 1368.* & alii contra Bossium, Pasqualig. Dicastill. & alios putantes non ideo tolli, vel impediri jurisdictionem à Papa concessam. Vide *verb. Complex peccati num. 1. & 2.* Nec potest extra necessitatem extremam pro Confessario eligi excommunicatus, suspensus, irregularis, & tanto minus depositus, & degradatus, quamvis antea fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata, ut recte dicit La Croix *loc. cit. num. 1468.**

Confessarius vi Jubilæi electis solet concedi quadruplex facultas. I. absolventi à quibuscumque censuris. II. absolventi à quibuscumque peccatis. III. commutandi vota. IV. commutandi opera præscripta; *Communis,* ut patet expresse ex verbis bullæ pro Jubilæo edi solite. Confessarius Jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolventi à quibuscumque censuris, potest absolvere à quibuslibet censuris, sive à Jure, sive ab homine quovis modo, & causa latis, etiam locorum Ordinariis, seu Papæ, & Sedi Apostolicæ quomodocumque reservatis; habetur expresse ex verbis bullæ pro Jubilæo edi solite ibi: "Sibi eligere possunt Confessarium tam secularium &c. qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, ac censuris à Jure, vel ab homine, quovis modo, & causa latis, seu indicis, necnon ab omnibus criminibus, quamvis enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in literis diæ Cœne Domini legi contentis, & nullis quomodocumque reservatis, in foro conscientie tantum, & hac vice absolvere, & liberare valeat."

Ratione tam amplæ facultatis absolventi ab omnibus censuris, etiam, & quomodocumque reservatis, potest Confessarius Jubilaris probabiliter absolvere etiam à censura hæresis, nisi hæc expresse excipiatur; Sic fuisse responsum in Sacra Penitentiaria an. 1617. occasione Jubilæi à Paulo V. concessi, & servari in praxi refert Filliucius *tract. 8. de Jubilæo cap. 10. num. 265.* & tenet Zerola *part. 2. praxis episcop. verb. Absolutio q. 8. conclus. 4. Corduba in Summa quest. 8. Lugo disp. 23. de Fide n. 102. Gobat tract. 3. de Jubilæo cap. 33. n. 248. Azorius part. 1. lib. 8. q. 12. Sanctarell. cap. 7. dub. 3. Reiffenstuel Theol. moral. tract. 12. distincti. 3. quest. 9. num. 129. & sequent. La Croix lib. 6. num. 1451. Sorus, Reginaldus, Fagundez, Bossius, & alii plurimi. Et ratio est, quia cum compertum sit plurimos graves Doctores defendere hanc sententiam, & in praxi plurimis Confessariis hanc opinionem sequentibus confirmari tempore Jubilæi absolutionem ab hæresi, si Pontifex vellet illam excipere, exciperet expresse, *argument. cap. Inter corporalia 2. de transit. Episcop. §. Sed neque istud, ibi: Unde si circa translationem idem fieri voluerit, quod de cessione dicitur, de translatione poterat expressisse, & in cap. Quia circa 22. de privilegiis ibi: Cum nihil exceperit, & potuerit excipere. (Lit. C. pag. 161. ante num. 49.)* Sicut de facto jam fecerunt alii Pontifices, quando voluerunt crimen hæresis esse exceptum, ergo cum id non exprimit, signum est, quod vult amplissimam conferre facultatem absolventi ab omnibus omnino reservatis: id enim congruit finem concessionis, ut scilicet posset quilibet Christianus Jubilæum lucrari, inter quos Christianos vere numeratur lapsus in hæresim, de hac vere penitens, & contritus, adeoque non apparet, cur is solus de mente Pontificis non possit fieri particeps Jubilæi, nisi expresse excipiatur. Tum quia beneficia Principum nulli tertio præjudicantia sunt largissime interpretanda; cap. Olim 16. de verb. signific. & ex Regula 15. *Juris in 6. Odiâ restringi, & favores conventi ampliari.**

Plurimi tamen alii cum Barbosa *de Offic. & Potest. Episcop. part. 2. allegat. 40. num. 32.* & novissime Pater Viva *de Jubilæo quest. 11. art. 11.* tenent oppositum. Immo Barbosa *loc. cit.* refert ex aliis sic declaratum per aliquos Romanos Pontifices, quæ declarationes, si vere emanassent, non esset locus dandus nostræ sententiæ: nisi dici posset, quod dictæ declarationes emanassent à Pontificibus circa proprias suas Bullas, aut quod ipsæ restringerentur intra limites Hispaniæ, aliorumque locorum, ubi viget Officium Sanctæ Inquisitionis, ad cuius instantiam dictæ declarationes emanaverint, ut patet ex verbis decreti relati à Diana *part. 1. tract. 5. res. 11.* Ad quod facit Responsio Sacre Penitentiariæ à Filliucio supra adducta, quæ si revera emanasset, & pro omnibus locis dictæ Pontificiæ declarationes, non potuisset ipsa sic respondere.

Confessarius Jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolventi à quibuscumque peccatis, potest absolvere ab omnibus peccatis Sedi Apostolicæ quomodocumque reservatis, & etiam à reservatis Episcopo, ut patet ex verbis bullæ Jubilæi adductis supra sub num. 17. Immo à reservatis Episcopo potest absolvere, etiamsi id non exprimat, cum in Jubilæo facultas absolventi à reservatis Sedi Apostolicæ ferat facultatem absolventi à reservatis Ordinariis locorum; Sic communissima Doctorem cum Suarez *disputat. 7. de censuris cap. 5. Viva de Jubilæo question. 11. art. 2. Diana part. 3. tract. 4. resol. 149. La Croix loco citato num. 1451.* A Confessario Jubilari potest etiam absolvi, qui spe Jubilæi commisit reservatum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur; Sic communissima Doctorem cum Viva *loco citato art. 3. num. 1. La Croix loco citato num. 1431. Navarr. Bossio, Filliucius, Suarez, Sanchez, & alii passim: ac idem sub aliis terminis est, dum dicitur, quod qui peccat peccato reservato in confidentiam Jubilæi, potest virtute Jubilæi absolvi; peccare autem in confidentiam Jubilæi est, quod notitia Jubilæi infuset in peccatum, seu sit ejus causa, quatenus seclusa Jubilæi notitia, & spe facilis absolutionis, reservatum non*